Triumphale virtutis et sapientiae capitolium.

TRIUMPHALE VIRTUTIS & SAPIENTIÆ CAPITOLIUM

In CAPITE
Consumptîs Centum Sexaginta ab obitu annîs
integro
SERAPHICI & ECCLESIÆ DOCTORIS,
DIVINISSIMI
BONAVENTURÆ
S. R. E.
CARDINALIS
Et
EPISCOPI ALBANENSIS
ERECTUM;

Recurrente verò annua Eiusdem luce
Publica ex Cathedra in Basilica Petricoviensi
AA. RR. PP. Ordinis Minorum de Observantia
ab Uno è Minima Societate JESU
Oratorio cultu
ADORATUM

Annô, quo
Ipse CapUt nostrI ChrIstUs fUnDaVerat orbeM

ΠΘ.

1723.

Reverendo in Christo Patri Joanni Chojecki Societatis J
Cursus triennalis Lectori emeritissimo

RELIGIOSISSIMO

ADMODUM REVERENDO

in Christo Patri

SERAPHINO GAMALSKI

Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia per Majorem Poloniam

PROVINCIALI EMERITISSIMO

Sacræ Theologiæ Lectori Jubilato.

Ejusdemq; Ordinis Prædicatori Generali

Nec non

Universo Ordini sacerrimo,

in perennem animorum Societatem

Intimô votô, & Studiô subscribit

Et

CONSECRAT

Minimus e Societate Orator

I. K. S. I.

ELEGIA DEDICATORIA.

I, Licet exilis securo pagina vultu
    Felix, meta tuæ quod manet ista viæ!
Ibis, quâ Præses, toto celebrandus ab orbe,
    Ordinis ille sui fræna sacrata gerit;
Grandeq; partitur vario sub climate Nomen
    Et fáma, & meritis clarus ubiq; micans.
Agnosces vultus, pietas quos ipsa notavit,
    Sedit & excelso vertice cana fides.
Magnos obtutus postquam deveneris ante,
    Istos, vel similes redde ministra sonos:
Non alio, nisi magne Tuo sub Nomine Præses
    DOCTORIS Divi laus celebranda venit.
Qui typus illius es; morum nec degener hæres;
    Dicitur & titulo proximiore tuus:
Integer ille tuus, totus descriptus & in te,
    Nec nisi Te lecto, se sinit ille legi
Non habitus, pietasq; Viros discriminat ambos,
    Est vesti probitas concolor ipsa suæ
Virtutem simul ac animam spiratis in unam
    Junctus uterq; sibi, junctus uterq; D E O.
Illius quidcunq; nitet splendoris, & artis,
    Quidquid & ingenii; cernitur esse tuum.
Est tenor ille animi, cordis vigor atq; beati,
    Sunt celsæ, vena divite, mentis opes.
Dum celebrabaris Cathedrâ sublimior omni?
    Ipse Tuo DOCTOR creditus ore loqui.
Sacra, locuturis dederas quæ dogmata pennis,
    Audiri medio Tybride digna manent.
Inde suum nomen Polnania posset habere
    A Te quod rectum noverat atq; pium!
Nec cunctos numerare vacat, quibus arduus ibas
    Sacrati cœtus, munia clara, gradus.
Sit satis, exiguum nil in Te viderat orbis
    Parent arbitriis omnia summa tuis.
Est sacer ullus honor quem non Tu gesseris: Annos
    Per fasces tantùm cui numerare datum.
Jam per Russiacum ibas Commissarius orbem,
    Et verbò, & factis ædificare potens:
Post Tibi Majoris Lechiæ commissa Potestas
    Angelus ut Custos hic SERAPHINE fores.

At

At, quod Te Latium nuper cognovit ab ore:
Te sibi signavit, præmia plura parans,
Vt vel sacratæ præsis generaliter Vrbi,
Inter vel Latios adnumerêre Patres.
Fiet! nec rigidæ properabunt stamina Parcæ,
Jupiter & sceptris annuet ipse suis.
Hoc merita exposcunt; multorum vota precantur:
Postulat atq; tuæ Religionis honor.
Hoc ex corde vovet Sociatum Nomen JESV,
Conjunctum studio proximiore Tibi;
I, quocunq; Deo sic disponente vocaris
Affectus comites, hac licet ire Tui;
Lojolo fervore Viri quicunq; calemus,
Jungimus ad flammas hunc SERAPHINE tuas.
Si non perfecti fulgemus amoris in auro,
Affectus veros ignibus hisce proba.
Ne dubites: uno sociamur Nomine JESV,
Hæc BERNARDINO signa ferente prius!
Hinc eadem Domini sequimur vexilla supremi,
Vnaq; militibus tessera utrisq; manet.
Fortior & reddet vis hæc unita Sodales,
Non adversa prement, quos Sociavit amor!
Accipe de tenero sacrata volumina cultu,
Cor, non exiguas respice quæso notas.
Hic typus affectus est, nullo delebilis ævo
Cunjunctos animos litera quæq; docet.
Perlege cum charta candorem: scilicet omni
Te sibi sub titulo pagina nostra notat.

ORA-

ORATIO.

AB Umbris, in lucem, è silentibus, ad rostra, ad immortalem famam ex sepulchrali cinere Caput Tuum proferimus Doctorum Divinissime BONAVENTVRA: illud Caput, quod omni humanô sublimius, mortalitatis metas prætergressum, cælo se medium superisq; permiscuit, nec tam gloriosi, corporis quâ animi integritate conspicuum; astris dominatur, ut pote sapientissimum; cui quidquid in Academo laurearum, in sole Theologico radiorum, pretiosarum alibi mentis opum, totum id plenîs ad meritum Titulîs illabitur; & cui, extra triumphatoris olim Asiæ Æmilii, vectigalem fortunam serta & Coronæ omnes debentur: illud (inquam) Caput, quod unum dixisse pro cunctis satis est, & sanè Caput Doctorum, quoq; omnes implentur tituli, Eminentissimis maj9 sublimarū cogitationū seminarium, Sanctorum scientiæ monumentum immortale, spectamus, ut busta inter spirat nativo virtutis vigori immortuum, & fidem facit, sanam fuisse, nec ullo corruptam errore, DOCTORIS SERAPHICI, doctrinam: cùmq; alii nec pilum boni viri in vita retineant, ille post fata etiam tot reservavit, quot frontis

suæ radios. Ecquid enim in verticem illum prævaluissent mortis fulminá, qui totus laureatus erat, ut pote Doctoralis? Quid Cymmeriis involveretur tenebrîs, qui vix satis exstinctus, mox radiis Beatorum circummicabat splendidissimé? Exinde orthodoxa Religio in vigore stetit, & dissiparetur? Caput hoc quidquid excogitavit, æternæ veritatis erat, quidquid reliquit, immortale: nec aliter cælestes intelligentiæ perennarent, si corruptibile aliquod admitterent.

Favisti CARDINALIS EMINENTISSIME, postquam, cùm omnia Tui superis consecrâsti, grande illud divinæ Sapientiæ domicilium Caput Tuum oratorum veluti resignâsti encomiis, & reservâsti; ut scilicet, cùm Te totum laudibûs attollere nequeant; meliorem Tui partem sibi vendicent: nec arrogantiæ est ad verticem usq; sacerrimum eluctari, cùm vix humilis suada, ad plantas locum mereatur: in summo etenim Doctor, à Capite statim laudandus, ut quod præcipuum est, prima fronte attingatur. Ergo Sanctioris hodie Tullii Caput, extra crudeles Antonii animos, pro rostris exponimus, vel ex eo dictionis sumpturi Argumentum. Nec jam superstitiosum aliquod, summoq; Jovi sacrum, verùm ut meliori fundamentô corrigamus Antiquitatem: Triumphale virtutis & Sapientiæ Capitolium in Capite Doctoris Seraphici fundatum esse adoramus. Annuite plurima meritis, & eruditione Capita; idem totum de Ordine Seraphico, quidquid de Seraphino Doctore prædicabitur, ex eodemq; Capite & vestram, & BONAVENTVRÆ magnitudinem colligemus.

Stamus ad fastuosæ vetustatis rudera, & orbis caput Romam extra Romam, Capitolium, extra Capitolium inquirimus. Non est quod præposteræ invideamus antiquitati, cecidit, cecidit magnificentia, illa, & tam magna jacuit, quanta se mole in altum pro-

A tule-

tulerat? Tot victrices herbas computavit, & tandem in flore suo emarcuit! Imperabat orbi, ut succumberet! & quæ opima jactabat spolia, fatis cessit. Vidimus erectum hominis in capite, majestate sua Cælo usq; minari Capitolium, ut profundiorî ruinâ postea adoraret Erebum: cùmq; capite pompam demitteret, & luxum. Mortalibus dijs, superstitioniq; litabatur, & ideò nihil immortalitate dignum mansit; nullusq; in urbem triumphus intraverat, nisi priùs Iovi Capitolino herbæ victrices ab omnibus porrigerentur, ne victoria quidem esset, nisi inferorum. Hinc Togatorum Patrum grandis circumstabat Senatus, indè expeditiores in sago ad bella Heroës, omnes animô & viribûs defecêre, nihilq; sunt, præterquam pulcherrima Ditis pompa. At verò si nobilioris formæ: molem in BONAVENTVRA conspicimus! prô quantùm Cælo vicina se Majestas admovet! quanto circumquaq; virtutum irradiat apparatu! vix primus in terris Hospes Balneoregii comparuit Divinus Infans, & jam magnitudine sua orbem implevit, & sydera; vagiit, & in universum vocalis echo personabat: cunîs interclusus, excelsa mente cælos penetravit, fecitq; palam se humile nihil moliri à cunabulis. Simul primam vitæ, simul admirabilis Architectonicæ plantam in orbe posuit; potuitq; vel primo hominis ex vestigio futura Majestas colligi. Scimus, Cyrum olim fortissimum Persarum Regem in primo infantilis ætatis flore, instar cujusdam arboris, ramos suos in universum protendentis, á Regina parente sua observatum fuisse, sed hoc somnio potiùs quam veritati præluserat; Cæterùm quicunq; prima vitæ lineamenta penitiùs in BONAVENTVRA introspexerat, nihil non magnum ex eo ominari potuit, & nihil, quod non summa exornaret fastigia. Jam excelsus Pusio tollebat se supra se, & tenerum caput nondum tollere potens, excelsis tamen cogita-

cogitatio nibûs superis adhæsit intimus. Creverat non aliter, nisi crescente per venas innocentiâ, quasi virtutem pro anima sortitus esset. At ecce! in illo cælestis pænè structuræ apparatu, quæ malorum tempestas erupit? qui turbines, pejùs Aquilone involârunt?

Florebant hilares, inconcussiq; Penates?
Nil mæstum! quid enim quamvis infida, levisq;
Numine tam dextro posset fortuna timeri?
Invenere viam liventia fata, piumq;
Intravit vis sæva larem. Sic plena maligno
Afflantur vineta Noto; sic alta senescit
Imbre seges nimio; rapidæ sic obvia puppi
Invidet, & velis adnubilat aura secundis. Statius lib:Syl.

Concutitur tota à fundamentis vitæ structura, jamq; procumbente BONAVENTVRA, prope corruisset, nisi tempestiva Divorum succurrissent præsidia! Invaluerat extremæ horæ Nuntius morbus, adeò futuro orbis lumini malignus, ut solam nonnisi Infantis umbram relinqueret, & necdum usu lingvæ potitum, inter silentes recensebat. Quid ad hæc solicitæ parentum curæ, & impensæ? cum humana præsidia nulla proficerent, superna invocarunt! Concepêre ardentia vota, ut refrigeraretur Infans, ut surgeret, ad aras cecidêre. Et tandem dederunt superi meliora lapsis! dum pro servitio Dei destinatur Pusio, liber à morbo evadit; jamq; brevi exstinguendus, Seraphicis Francisci ignibûs incalescit ad vitam: Et sic, cùm alii vel beneficio naturæ, vel medentium arti salutem debeant, ille divinius olim Prometheô totam à superis traxit animam, plusq; de Cælo, quàm terra participavit.

Redditus itaq; sibi, & sanitati, sana etiam animô concepit consilia, nihilq; non aggressus, quo perfectam in se Capitolii promoveret fabricam. Alios a cunabulis otium, & lenocinia sæculi hujus emolliunt,

liunt, ut ne auram quidem commodiorem habeant, nisi inter desidiam; ille verò nihil magis dedignatus, quàm inertes animos, dura per & aspera connixus; ut virtutem in arduo sitam è vestigio sequeretur. Vidisses illum nobiliùs illô Romanæ juventutis vindice, Scipione, non ad curiæ tantùm verùm ad Cæli limen adolevisse, quò statim perdisceret, ad quæ ingentia formaretur. Mox à crepundiis, ad literarios ludos, à Bulla, ad Prætextam Minervæ, è Penatibus, in arenam literariam passum promovit, cùmq; vix benè pedibûs consisteret, palmam cessit nulli, & quod annis deerat, magnanima præoccupavit indole; eoq; in primo vitæ suæ limine devenit, quò vix provecta ætate senes enituntur. Adeò festinus est magnorum pro-progressus, ut uno passu, summa quævis comprehendant! Nescit quippe tarda molimina, qui non exigui momenti rem aggreditur, qui magnificam structurus est domum, omnia ad manum habeat, necesse est. Taliter & DOCTOR Eminentissimus, cùm grande scientiarum Capitolium moliretur, nullum non movit lapidem, quô perfectè omnia fierent. Iam vel ipsa Grammatica constructio, novæ Architectonicæ modum subministrabat. Parnassi item culmina altiùs promovebant molem. Ex campis Oratoriis lapides pretiosi, ex academo, integra laurorum sylva devecta est. Vt vero moles tota perfectior, tutiorq; staret, illam Religiosis munivit claustris; ex Paupertate Francisci murum fecit non quidpiam concussum; ex Cruce, fulcrum, ex stigmatibus, pulcherrimum prospectum. Funiculô præcinctus rectam suæ Architectonicæ fecit dimensionem, ne vel minimum quidem a puncto Honoris Divini exerraret. In aureis suis occupationibus, feliciùs Phrygiô olim Mydâ, quidquid attigerat, perfecit. Quæcunq; Religiosa ministeria peragebat, propiores semper ad superos grad9 struxit.

 Silen-

Silentii tenax, tanquam alter Salomon Domum Dei sinè securis, & mallei strepitu exstrueret. Si Divina præcinebat? Delphicum Oraculum post cortinam, Religiosam audiri potuit. Compositione morum adeo insignis, ut orbem totum se ipso ædificare valuisset.

Tanta illius sanctitatis prima exordia penitius contemplatus Seraphicus Pater FRANCISCVS, & veluti solem ex radiis, leonem ex ungue cognovit, magnumq; fore virum, qui orbem insigni suâ doctrinâ illustraret, prædixerat, quasi ex prima, colligeret planta, quantæ molis opus fabricaretur! Magnum vero illud Theologicæ facultatis sidus Alexander Alensis Adam in BONAVENTVRA peccasse nihil rectè conclusit, ut potè qui talis semper vixit, qualem in statu perfectæ beatitudinis vivere oporteret. Scientias quidem omnes consumpsit, sed non de vetito ligno Crucis, cui Crucifixus pro Bibliotheca fuit.

Tantô ergo præsidiô cultiorem auspicatus Minervam, mirùm quàm brevi profecit! sub Alensi alite pernicior, ea promptitudine ad studia, eaq; rerum penetratione, qualis Seraphicum deceret ingenium. Crederes non tam illum studuisse, quam omnem mox exhausisse scientiam, docere, non doceri, expolire cæteros, non expoliri visus, adeo, ut quicunq; navantem studiis operam conspexerat, vivam scientiarum Vniversitatem esse affirmaret. Parum est Pyrrhum una Regii annuli in gemma novem Musas, cum suo in Parnasso Apolline insculptas jactasse; pretiosus verò scientiarum unio BONAVENTVRA, omne id in compendio tenuit, quidquid, in arte liberali rarum, & conspicuum æstimatur. Addidit stimulos, quod parem, & æmulū nact9 fuerit condiscipulum, Seraphicus, Angelicum, Aquinatem, igneus, Thomam, id est abyssum, prosperrima quævis vel ipso nomine connotans BO-

NAVEN-

NAVENTVRA. Hi ambo, tanquam Ganges Pactolo uniti, pretiosam Orbi tempestatem fecere: visq; unita fortior erat, ut omne arduum superarent. Et Thomas parem, nec BONAVENTVRA inferiorem se reperit. Effulsêre brevî in uno scientiarum polo, gemini soles: Hic, quascunq; illustraverat sententias, meridiem fecit; ille, totô capite Phæbo altior, infra Doctorale pectus illum suspendit.

Rarum, & pæne novum sub sole erat, adhuc in primo ætatis flore, & jam Doctorem esse laureatum, in Discipulo Professorem, & publica in Cathedra Parisiis sẽtentiarum Magistrum. Taliter rara in universo avis æstimatur dicta Hemorobies, quæ eadem die, qua in lucẽ prodit, omnium avium diversam vocum harmoniã probè imitatur, tanquam plus ingeniô quàm ætate viveret. Taliter teneræ adhuc apes dulcius mellificant, quàm si longa ætatum serie contabescerent. Annorum septem Religiosus erat, & jam septem Græciæ sapientũ doctrinam non dicam æquavit, sed potius superavit: nec aliter, ac universi oculus sol, talis statim in primo sui mane, qualis & in pleno radiorum meridie apparuit. Semel, illustre illud orbis prodigium Thebas, solo fidium impulsu ab Amphione fundatas accepimus; tanquam vel surda marmora suavi lyræ concentu erudirentur. Quid verò accidit, dum celeberrimus Parisiis sententiarum Magister vocali in universum fama personuit? Concurrebat undequaq; grandis discentium caterva, ut verba sapientiæ audirent, quæ ultra homines crescerent. Saxis etiam asperiora ingenia tractari visa, & emolliri. Spectasses in septenni Religioso BONAVENTVRA, septem veluti columnis innixam domum a divina sapientia in qua perpetuo degeret exædificatam fuisse.

Quantum jam operis perfecerat tùnc Parisiis? æstimate! si Româ arbitrâ, in urbium Domina, prima fronte, effulgere dignus repertus est: huc namq; evocatꝰ, mox

in

in Generalem Ministrum totius sacerrimi Ordinis evectus, supremum veluti agebat Architectum, ut intra, claustra, a linea recti deviasset nemo. Affixus loco, veluti olim Statorius Jupiter, suis in universum jura dabat. Orthodoxæ Religioni murum, fidei hostibus fatales scopulos; verbo simul potens, & opere; multos audivit, erexit, stabilivit. Nullusq; erat, cui tam beneficum sydus non alluceret. Et cavit vicaria in terris Christi Potestas GREGORIVS, ne scilicet tantum Ecclesiæ lumen, umbris tantùm præcluderetur Religiosis; eum ut cum BONAVENTVRA fausta omnia in Concilio Lugduni succederent, ad latus esse voluit Theologũ. Hic ille, pænè totum Concilium, oraculorum lingua, pectoris Beatissimi, arcanum; impletumq; Vatis effatũ.

(a) Hoc Tibi Roma caput cum loquereris erat. Ille errores discutere, detegere fraudes, dirigere, persuadere, efficacissimus: illum omnes sibi proponere, audire, sequi, immitariq; concurrebant, nullusq; fuit qui sub tanto Capite diversa saperet. Evanuit subitô Græcũ schisma, nec ultra contra torrentem niti voluit, cùm de fonte hoc sapientiæ gustâsset. Orientales noctes a tanto lumine subitò disparuerunt. Coronatum Bizantii caput Michàél cum tota Græcia ad pedes Beatissimi Patris supplex procubuit. Et profuit stravisse! ipse etenim BONAVENTVRA mox insolito prorsus more evehitur in Eminentissimum: priús namq; S. R. E. Cardinalis promulgatus, antequam Albanensis Præsul; tanquam ipsa Cardinalitia purpura pulchrum certamen cum vittis iniret, & unus titulus alteri præcurreret, rubrumq; involveret album. Sed ô quàm sæpè momentô perit, cui secula, allaborarunt! quodq; ad publica augeri semper debuit commoda, diffluit, & prolabitur! Iam pænè se Cælo inferebat Capitolii nostri moles purpurea, cum subito casu quæ valuêre ruunt, concutitur febri labefactatur, & tandem cum univer-

(a) *Martialis.*

si jactura occumbit Lugduni BONAVENTVRA, in fine Concilii ad extrema delatus, cumq; illo orbis integer exspirare visus! Pallete mortes! trepidate fata! fugite pericula! Ergonè integerrimæ sanctitatis ideâ mors ultimâ confecit lineâ? Itane supremi Capitis in Concilio os siluit? mens & ratio defecit? Evenêre! excanduit Pater Purpureus! Albanensis Præsul ad funera nigerrimus! Ignis Ordinis Seraphici exstinctus! & ipse Generalis subjectus mortis dominio! BONAVENTVRAM, omniū pessima mors stravit! sudat heû ad necis venena unionis cum Græcia gemma, & in partes scinditur! ipsaq; Doctoralis laurea, ad mortuale gelu marcescit! Qui corrupta Ecclesiæ membra sanitati restituit, ipse male torquetur! Qui orientem novo pietatis ardore accenderat, occidit heû! & exstinguitur! animamq; agit, qui pro publicis Christianæ Reipublicæ cōmodis plurima agere cōsvevit. Cecidit basis fidei! Ecclesiæ columna, veritatis clypeꝰ, integritatis flos, eruditionis trophæū, Doctorū corona, Religionum murus, anima Ordinū Spiritualiū; omnium omnia, sibi nullus! Terræ mandatus integer Dei, & Cælô plenus. Conclusus marmore secula ædificat.

Cecidit, nihil tamen de congenita sibi Majestate demisit! ingentibus enim viris nihil fata derogant, dum tollunt, sed veluti Rhodius ille Colossus æmula magnitudini suæ prolabuntur ruinâ. Stetit ex ipso casu insignis Capitolii nostri structura, vel indè nobilior, quod corruptibile suum posuerit. Obiit Seraphicus, sed cum universi ædificatione, cui orbis integer parentavit, EMINENTISSIMO CARDINALI, GREGORIUS cum Regibus & Principibus, Episcopo Albanensi, quingenti ultra Antistites cæteriq; innumeri Abbates, & Prælati; Magistro Discipuli, Doctori sapientes: addam cives superi, & Angeli, Seraphico. Diceres ad tam nobile funus universam Christianitatem confluere necesse fuisse, ut tantô viro se, & fortunam suam metiretur. I, nunc Dea gentium Roma, & veteris Capitolii palmas jactare desine! nullus antea nobilior tuam in Urbem triumphus intraverat, quantô nunc procumbente BONAVENTURA Lugdunum exornatum est.

Roma caput mundi, tumidum quid in æthera tollis
Colla super septena jugum, superisq; propinquos
Immisces titulos, quid grandia Nomina jactas
Pompeios, Stantesq; in curribus Æmilianos,
Victrices animas, bellatoresq; Quirites

Ad

Ad Capitolinæ procedere limina pompæ?
Decrescunt procul ecce Tui monumenta triumphi,
Et sibi Majestas minor est, urbs deserit urbem?
Cernis ut insolito pandit se pompa theatro
Cum BONAVENTVRÆ assistit pæne integer orbis,
Justaq; persolvit; populusq; exultat in unam
Conspirâsse animam; vario sub sole jacentes
Se turbæ donant, & funera magna precantur,
Vt vel in exstincto stet magnificentia busto
Posthuma, regnantis superans Capitolia famæ!

Cadaver, veluti grande aliquod depositum, tantùm terræ concreditum, sed mox arîs illatum festivis populorum cultibûs adoratum est: viderat siquidem maximus GREGORIUS grande in universum virtutis crevisse Capitolium,& mox ad populum fecit celeberrimum. Nec minùs quidpiam à magno suo Antecessore egit *Sixtus Quintus*, qui ut, immortalem sapientiæ domum aperiret, Collegium BONAVENTURÆ magnifico sumptu erigi curavit; ibiq; ut triumphale scientiarum Capitolium perennaret, Caput Divinissimi Doctoris pro fundamento deposuit: scilicet ut grandis discentium Caterva domestica habeat documenta quanto infundatur Doctori, quantoq; innitatur Capiti.

Et jam triumphat omni majestate sublimiùs virtutis,& Sapientiæ Capitolium; triumphat etiam in humili Oratoris eloquentia, ut priùs se tanta magnificentia obrutum esse fateatur, antequam vel unicũ honoris punctum evolverit.

Ad vos tandem ultimatò, prima Seraphici Cæli Capita & quædam Motrices Intelligentiæ Minoritæ maximi tanto pronior devolvitur Oratio, quantò conjunctîs invicẽ animîs,& studîis vobis addictior. Toto simul orbe utimini, nullaq; sub sole natio est, quæ vestrũ non exambiat Nomen, ergo & nostrî corda qui amor omnium estis possidete. Vobiscum animam spiramus in unam, qui sanctissimîs exemplîs Orbem animâstis, qui populos à ruditate vindicatis, vobiscum sapimus. Cogitis nos certare humanitate, qui barbara, & alioquin effera ingenia ad humanas divinasq; leges adaptatis: latent sub cinereo vestro Habitu Ignatiani amoris scintillæ, & tanquam custos olim Imperii flamma, tamdiu perennabunt, quamdiu pleno sub sole Nomen vestrum splendebit clarissimũ. Vivite nobis, Religioni, Cælo, candidè, æternũ. Vivite & tam moriẽtis inter sæculi deliquia, quàm adversitatem turbines inter triumphate gloriosissimè. Minoritis pronissima obsequia Seraphicis, inexstinguibilem charitatis flammam, Mendicantibus, profusissimos affectus, toti sacerrimo Ordini intima vota & studia subscribimꝰ & consecramus. Dum verò Eminentissimum Doctoris Seraphici Caput, ad Capitolium immortalis gloriæ oratorio cultu deduximus, & laudum vestrarum & nostræ erga Seraphicum Ordinem propensionis Unum pro cunctis stat Caput istud erit.

DIXI.